

LEONIS XIII.

129639

PONTIFICIS MAXIMI

ACTA

---

VOL. I.

---



ROMAE  
EX TYPOGRAPHIA VATICANA  
1881

## LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS TITULUS MAGNI MAGISTRI  
PENES ORDINEM S. IOANNIS BAPTISTAE HIEROSOLYMITANI  
INSTAURATUR.

---

DILECTO FILIO  
IOANNI BAPTISTAE CESCHI DE SANCTA CRUCE.

---

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI  
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Solemne semper ac decorum fuit Romanis Pontificibus Decessoribus Nostris, ea curare, et fovere instituta, quae ad gloriam Dei, ad christiana reipublicae salutem pertinere novissent. Ideo militares Ordines ad religionis cultum, et Ecclesiae praesidium comparatos, in tutelam suam recepere, multisque honestarunt ornamentis; si quid vero a regulis, et prisco more devium in eos inductum persicerent, id ad legitimos, et consuetos revocare tramites pro Pastorali vigilancia sua, et opportunitate temporum

numquam intermiserunt. Neminem porro fugit, in hoc numero illustrum Ordinum, eum praestitisse cum primis, ac floruisse, qui ab hospitali aede S. Ioannis Baptiste Hierosolymitani nuncupatur, sive antiquitas spectetur originis, sive nobilitas alumnorum eius, sive egregia in Ecclesiam merita, sive gloria rerum gestarum, et partae de communi hoste victoriae. Ille quidem varias, uti res humanae solent, expertus est temporum vices, et mutabilis fortunae casus; at numquam ita fuit rerum adversarum fluctibus obrutus, aut summi Dei, et huius Sanctae Sedis auxilio destitutus, ut penitus interiret, nec novis refectus viribus assurgeret. Quod maxime compertum est in exitu superioris saeculi, et nostri huius exordiis, quum, capta insula Melita, et disiectis sodalibus, profligatus ac prope deletus videretur: quo tempore mira providentis Dei dispensatione, insperatos nactus est adiutores potentissimos Russiarum Imperatores Paulum I, et Alexandrum I, adeoque sui studiosum habuit Pium VII felicis recordationis Praedecessorem Nostrum, ut in novis sedibus, ubi sese receperat, iure coire posset, officia institutioni suaee consentanea sub legitimis Praesulibus obire, et prout res ferebant, multum de pristina dignitate retinere. Verum etsi labentibus annis res in melius iam viderentur conversae, tamen memoratus Decessor Noster, internam ipsius Ordinis conditionem, aliaque illius temporis adjuncta circumspiciens, neque tutum, neque tempestivum censuit post obitum Magni Magistri Ioannis Baptiste Tommasi, virum Ordini statim praeficere eodem titulo et honore insignem, sed pro pru-

dentia sua satius putavit, Supremi Magistri electionem differre, et Innico Mariae Guevara Suardo, qui vices istius gerebat Locumtenentis nomine, ampliores facultates largiri, quae regendo Ordini, reique communi administrandae necessariae visae sunt, prout videre est in Litteris Apostolicis in forma Brevis ad praedictum Innicum Mariam Guevara Suardo datis die xxi Octobris anno MDCCCV. Non ea profecto mens erat Pontificis providentissimi, ut id, quod pro tempore, decreverat, perpetuum esset futurum; quin imo semel, atque iterum declaravit, sibi fore optatissimum, si cum primum temporum ratio sivisset, Magister Supremus iuxta statutorum formam Ordini praeficeretur. At cum antea vita cessisset, quam voti compos fieret, nec deinde commoda se obtulisset occasio, qua in pristinum honoris gradum Praesul Ordinis restitueretur, ii omnes qui postmodum ad eiusdem regimen vocati sunt, licet facultatibus instructi Supremi Capitis oneri et officio paribus, ex huius Apostolicae Sedis indulgentia, tamen nonnisi Locumtenentis nomen, et dignitatem habuerunt. Neque vero per id temporis praetermissum fuit a Romanis Pontificibus ea diligenter accurare, quae ad bonum praedicti Ordinis conferre, comperissent. Nam Gregorius XVI felicis recordationis binis Apostolicis Litteris die xiii Decembris anno MDCCCXLIV et die xxx Septembris anno subsequenti datis, quaedam constituit, quae rebus Ordinis rite administrandis salubria fore censuit, idemque per epistolam Cardinalis a publicis negotiis Status administri die xi Iulii Anno MDCCCXLV modum, et formam praefinivit,

qua Praesul Ordinis Sodalium suffragiis eligeretur. Novissime Pius IX inclytæ memoriae Decessor Noster per Apostolicas Litteras die xvii Martii Anno MDCCCLXV datas plura complexus est, ac decrevit, circa iura, et munia Locumtenentis, et Consilii huic adiuncti, quibus servatis pro ratione temporum res eiusdem Ordinis et negotiorum procurementem iuvari autumavit. Interea opitulante Deo, cooperante Equitum zelo eorum in primis, quibus summa rerum commissa fuit, studiisque faventibus potentium Europæ Principum, ita res Ordinis solide firmatae, ac feliciter auctae sunt, ut non modo de praesenti illius amplitudine, rebusque bene gestis, ad Ecclesiae decus, et utilitatem publicam gratulari, sed etiam maiora in posterrum et laetiora de ipso sperare liceat. Ob eas res Venerabilis Frater Noster Antoninus Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinalis De Luca Episcopus Praenestinus et praedicti Ordinis Protector, quum prosperam hanc et florentem rerum conditionem, in qua nunc idem Ordo versatur, Nobis explicavisset, ad ipsius incrementum a Nobis flagitavit, ut illius Praesuli iuxta sodalitii leges et institutum, Magni Magistri nomen et honorem redderemus. Id vero sine alicuius offensione a Nobis fieri posse demonstravit, praetermissa nunc nova Sodalium electione; quandoquidem ii, quibus suffragari ius est, post annum MDCCCV, quum Supremi Magistri nominatio indefinito tempore dilata fuit, ita Locumtenentes semper elegerunt, ut summam ac perpetuam potestatem in universum Ordinem ipsis collatam vellent, sub ea appellatione, quam temporis et rerum

adiuncta paterentur. Te vero, dilecte fili, non secus ac quatuor Locumtenentes antecessores tuos in completo, quod vocant, consilio, legitimis suffragiis fuisse electum, idem Venerabilis Frater Noster ostendit ac sedulitatem et industriam tuam sibi et Equitibus Ordinis pluribus argumentis probatam meritis cum laudibus Nobis commendavit. Nos igitur, totius negotii serie penitus inspecta et expensa, considerantes rationes illas amotas iam et sublatas esse, ex quibus Praedecessor Noster Pius VII Magni Magistri nominationem dilatam voluit, et Ordinem hunc praenobilem, de re Christiana et civili societate egregie meritum in persona Capitis sui, quantum in Nobis est, in pristinum splendoris, et dignitatis gradum cupientes restitui; Teque ipsum, quem amplissimo honore dignissimum iudicamus, speciali favore prosequi volentes, oblatas preces benigne excipiendas rati sumus, iisque libenter annuimus. Quapropter ea, quae de differenda electione Magni Magistri in Apostolicis Litteris Pii VII die xxi Octobris anno MDCCCV datis cauta et comprehensa sunt, ex causis expositis revocamus et abrogamus, proindeque protestatem facimus praedicto Ordini S. Ioannis Hierosolymitani, ut quoties in posterum sedem, et officium Supremi Capitis Ordinis vacare contigerit, ad successoris electionem devenire valeat (salvo iure Pontificiae confirmationis) resumpta appellatione et titulo Magni Magistri, qualem leges et instituta Ordinis antiquitus praescripsere. Quod ad formam autem et ritum electionis ipsius attinet, eadem servari iubemus, quae hactenus in electione Locumtenantis

servata sunt, iuxta praescripta Gregorii XVI per memoratam epistolam Cardinalis a publicis negotiis Status Administri die xi Iulii anno MDCCCLV datam, quam in suo robore et vi manere volumus atque decernimus. Pariter circa exercitium potestatis et iurium Magni Magistri ea valere interim et servari praecepimus, quae cauta et constituta fuerunt per Apostolicas Litteras Decessoris Nostri Pii IX datas die xvii Martii Anno MDCCCLXV super potestate et iuribus Locumtenentis, et Consilii huic adiecti, ac nihil ex iis immutari volumus, donec aliter a Nobis, vel Successoribus Nostris constituatur. Denique cum Tibi dilecte fili, iam ab anno MDCCCLXXII (ceu praediximus) suprema ac perpetua potestas in Ordinem universum, sub Locumtenentis titulo rite collata fuerit, quam Decessor Noster Pius IX Litteris Apostolicis datis in forma Brevis die xxiii Februarii eiusdem anni confirmavit, eaque potestate iugiter sic usus sis, ut omnibus amplissimi ministerii muniis religiose perfungens, decus et utilitates Ordinis strenue provexeris, atque eximiae prudentiae, actuosi zeli aliarumque virtutum, queis Coetus huius perinsignis Praesulem enitere par est, specimina edideris, Nos pro certo habentes Ordini universo acceptissimum fore, si id quod ab ipso in electione tua gestum fuit non modo ratum habeamus, sed et clariore honoris ornamento cumullemus, Te de more a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutum

fore censentes, Magnum Ordinis Hierosolymitani Magistrum eligimus, ac nominamus, cum omnibus obligationibus et oneribus iuxta statuta Ordinis et Apostolicas Constitutiones, nec non cum omnibus honoribus, gratiis et privilegiis, quibus Praedecessores Tui gavisi sunt, iubentes idcirco singulis Ordinis universi Equitibus, Cappellanis, ceterisque eius administris, atque inservientibus, ut debitam Tibi praestent obedientiam, ac ut Magnum Magistrum, ac Principem Te colant et venerentur. Haec itaque statuimus atque mandamus, decernentes has litteras firmas, validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non dicti hospitalis stabilimentis, usibus et naturis, atque ordinationibus Capitularibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Confidentes denique, ut haec quae a Nobis ita disposita et constituta sunt, divinae benignitatis ope, accidente industria Tua et totius Ordinis Tibi crediti studiis, ad gloriam Dei, ad compendium et decus Christianae reipublicae benevertant, omnia Tibi, di-

lecte fili, in Magisterio Tuo fausta adprecamur, et Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxviii Martii MDCCCLXXIX, Pontificatus Nostri anno secundo.

PRO D. CARDINALI CARAFA DE TRAETTO

DOMINICUS IACOBINI *Substitutus*